

# Bijlage VWO

# 2011

tijdvak 2

**Latijn**

tevens oud programma

**Latijn**

---

Tekstboekje

## Tekst 1

---

*Aeneas en de Sibylle komen aan bij de onderwereldrivieren.*

295 Hinc via Tartarei quae fert Acherontis ad undas.  
296 Turbidus hic caeno vastaque voragine gurgēs  
297 aestuat atque omnem Coccyto eructat harenam.  
298 Portitor has horrendus aquas et flumina servat  
299 terribili squalore Charon, cui plurima mento  
300 canities inculta iacet, stant lumina flamma,  
301 sordidus ex umeris nodo dependet amictus.  
302 Ipse ratem conto subigit velisque ministrat  
303 et ferruginea subvectat corpora cumba,  
304 iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.  
305 Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,  
306 matres atque viri defunctaque corpora vita  
307 magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,  
308 impositique rogis iuvenes ante ora parentum:  
309 quam multa in silvis autumnī frigore primo  
310 lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto  
311 quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus  
312 trans pontum fugat et terris immittit apricis.  
313 Stabant orantes primi transmittere cursum  
314 tendebantque manus ripae ulterioris amore.  
315 Navita sed tristis nunc hos nunc accipit illos,  
316 ast alios longe summotos arcet harena.  
317 Aeneas miratus enim motusque tumultu  
318 'Dic,' ait, 'o virgo, quid vult concursus ad amnem?  
319 Quidve petunt animae? Vel quo discrimine ripas  
320 hae relinquunt, illae remis vada livida verrunt?'  
321 Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:  
322 'Anchisa generate, deum certissima proles,  
323 Coccyti stagna alta vides Stygiamque paludem,  
324 di cuius iurare timent et fallere numen.  
325 Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;  
326 portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.  
327 Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta  
328 transportare prius quam sedibus ossa quierunt.

329 Centum errant annos volitantque haec litora circum;  
330 tum demum admissi stagna exoptata revisunt.'

*Vergilius, Aeneis VI 295-330*

## Tekst 2

---

*Aeneas en de Sibylle komen aan bij de ingang van de onderwereld*

635 Occupat Aeneas aditum corpusque recenti  
636 spargit aqua ramumque adverso in limine figit.  
637 His demum exactis, perfecto munere divae,  
638 devenere locos laetos et amoena virecta  
639 fortunatorum nemorum sedesque beatas.  
640 Largior hic campos aether et lumine vestit  
641 purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.  
642 Pars in gramineis exercent membra palaestris,  
643 contendunt ludo et fulva luctantur harena;  
644 pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt.  
645 Nec non Threicius longa cum veste sacerdos  
646 obloquitur numeris septem discrimina vocum,  
647 iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.  
648 Hic genus antiquum Teucris, pulcherrima proles,  
649 magnanimi heroes nati melioribus annis,  
650 Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor.  
651 Arma procul currusque virum miratur inanes;  
652 stant terra defixae hastae passimque soluti  
653 per campum pascuntur equi. Quae gratia currum  
654 armorumque fuit vivis, quae cura nitentes  
655 pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.  
656 Conspicit, ecce, alios dextra laevaue per herbam  
657 vescentes laetumque choro paeana canentes  
658 inter odoratum lauris nemus, unde superne  
659 plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.  
660 Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi,  
661 quique sacerdotes casti, dum vita manebat,  
662 quique pii vates et Phoebos digna locuti,  
663 inventas aut qui vitam excoluere per artes

664 quique sui memores aliquos fecere merendo:  
665 omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.  
666 Quos circumfusos sic est adfata Sibylla,  
667 Musaeum ante omnes (medium nam plurima turba  
668 hunc habet atque umeris exstantem suspicit altis):  
669 'Dicite, felices animae tuque optime vates,  
670 quae regio Anchisen, quis habet locus? Illius ergo  
671 venimus et magnos Erebi tranavimus amnes.'  
672 Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:  
673 'Nulli certa domus; lucis habitamus opacis,  
674 riparumque toros et prata recentia rivis  
675 incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,  
676 hoc superate iugum, et facili iam tramite sistam.'  
677 Dixit, et ante tulit gressum camposque nitentes  
678 desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.  
679 At pater Anchises penitus convalle virenti  
680 inclusas animas superumque ad lumen ituras  
681 lustrabat studio recolens, omnemque suorum  
682 forte recensebat numerum, carosque nepotes  
683 fataque fortunasque virum moresque manusque.

*Vergilius, Aeneis VI 635-683*

### Tekst 3

---

*Aeneas is na de inname van Troje al geruime tijd met een aantal schepen onderweg naar Italië. Iuno, die Aeneas van zijn bestemming wil afhouden, vraagt Aeolus, de god van de winden, om te zorgen voor storm op de Tyrreense zee waardoor Aeneas en zijn makkers schipbreuk zullen lijden. Iuno zegt het volgende tegen Aeolus:*

67 "Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor  
68 Ilium in Italiam portans victosque penates.  
69 Incute vim ventis submersasque obrue puppes  
70 aut age diversos et disice corpora ponto."

*Aeolus belooft Iuno te helpen en zorgt voor storm op zee.*

88 Eripiunt subito nubes caelumque diemque  
89 Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.

90 Intonuere poli et crebris micat ignibus aether  
 91 praesentemque viris intentant omnia mortem.  
 92 Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra.  
 93 Ingemit et duplices tendens ad sidera palmas  
 94 talia voce refert: "O terque quaterque beati,  
 95 quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis  
 96 contigit oppetere!"

*Na de woorden van Aeneas wordt het geweld van storm en winden nog heviger.*

124 Interea magno misceri murmure pontum  
 125 emissamque hiemem sensit Neptunus et imis  
 126 stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto  
 127 prospiciens summa placidum caput extulit unda.  
 128 Disiectam Aeneae toto videt aequore classem.

*Vergilius, Aeneis I 67-70, 88-96, 124-128*

*Aantekeningen*

*regel 67*        **Tyrrhenus** Tyrreëns  
*regel 69*        **incuto** geven  
*regel 70*        **age** *Vul als lijdend voorwerp aan:* **Troianos**  
                   **diversos** verschillende kanten op  
*regel 88*        **dies** daglicht  
*regel 88-89*    **eripio ex oculis** aan het zicht onttrekken  
*regel 90*        **poli** (*meervoud*) hemelgewelf  
*regel 91*        **praesens** (*bijvoeglijk naamwoord*) onmiddellijk  
                   **intento** + *dat.* + *acc.* iemand bedreigen met  
                   **omnia** *onderwerp van intentant*  
*regel 92*        **solvor** verlamd raken  
*regel 93*        **palma** hand  
*regel 94*        **voce refero** zeggen  
*regel 95*        **quis = quibus**  
                   **ora** (*acc. mv.*) ogen  
*regel 96*        **contigit** + *dat.* het was vergund  
                   **oppeto** sterven  
*regel 124*       **misceor** vervuld raken  
*regel 125*       **emissam** *Vul aan esse*  
*regel 125-126* **et imis stagna refusa vadis** en dat het water van de zeebodem  
                   naar boven was gekomen  
*regel 126-127* **alto prospiciens** uitkijkend over de zee  
*regel 127*       **summa unda** (*abl.*) boven het wateroppervlak  
*regel 128*       **Disiectam** *Vul aan esse*